

QK. 242.22

Z6
1928

M. ELIAE FRANCI

GYMNASII MANSFELDENSIS

QVOD ISLEBIAE FLORET

RECTORIS PER XLIV. ANNOS

SYMME DEXTRI AC LAVDABILITER

MERITI,

V I T A ,

SCRIPTA

AB IPSIVS NEPOTE

LVDOVICO CHRISTIANO PEZOLT

ISLEBIENSI,

MED. DOCT. ET PRACT. NORDHVSAN. ACAD. IMPERIAL,

NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. REG. TEVTONIC. GOET-

TINGENS. NEC NON DVICAL. IENENS.

COLLEG.

IMPENS. IOH. HENR. GROSSII, BIBLIOP. NORDHVS;

M. KILIAN FRANKI

GENUINER KUNSTSTOFF

DEUTSCHLAND

REGISTRIERTES PATENT

FABRIKAT DER KUNSTSTOFF-FABRIK

VITIV



MYSTERIORVM DIVINORVM

IN

ECCLESIA NORDHVSANA

AD DIVI IACOBI AEDEM

DISPENSATORI FIDELISSIMO

VIRO

SVMME, REVERENDO, AMPLISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

FRIDERICO CHRISTIANO LESSER,

INNVMERIS MERITORVM NOTIS

MAXIME INSIGNI,

REVERENDI MINISTERII

SENIORI MERITISSIMO,

ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOS. REG. SCIENT. BEROLI-

NENS. NEC NON SOCIETAT. TEVTONIC.

GOETTINGENS. ET HELMSTADIENS.

SODAL.

FAVTORE, AFFINI, COMPATRI

ET AMICO SVO OPTIMO ET PLANE SINGVLARI,

hoc qualecunque
monumentum litterarium
sacrum esse cupit,

eidemque simul
a

Deo immortalī
optimam valetudinem,
vitam longaeuam

et
perpetuam felicitatem
ex animo

adprecatur.

L. C. P.





uum pio et laudabili consilio veneranda constituerit, et ad nos deriuauerit antiquitas, virorum de bonis litteris meritorum post fata, vitam ac virtutes, ne vna cum ipso corpore intereant, memoria ac laude prosequi, et hinc scriptis publicis proponere: ego, dum hoc tempore ELIAE FRANCI, aui materni quondam dilectissimi, cuius multiplex in litteratura peritia, singularis in docendo dexteritas, et amplissima in studiosam iuuentutem merita sunt, vitae seriem, ad posteritatis memoriam, rudi quamuis penicillo, delineare annitor; arrogantiae crimen eo mi-

nus, vt puto, incurram, quo magis et fides et pietas a me flagitare id ipsum iure suo ac merito quodam videntur. Quem enim viuum colui, et amaui, cur non et mortuum eodem animi cultu, et amore prosequar, et pro tot beneficiis, quae, dum vita suppetat, aeterna mihi erunt, grati animi documentum, edam? Nihil proinde veritus momorum, omnia cauillantium, calumniosam crisin, propositum exequar, et quod ipsi debeo, vltimum humanitatis officium quadantenus perfoluam.

Natus autem ille est Numburgi, vrbe Saxoniae sat' celebri, parentibus honestis anno' MDCLVI, die XXVII^o. Februarii, patre Georgio Franco, pariter numburgensi, factore in schola Portenfi, et curatore discipulorum ibidem aegrotantium, viro singulari vitae integritate conspicuo, matre Elisabetha Hoffmannia, femina virtutibus, quae sexum sequiorem decent, ornatissima. Horum parentum suorum nunquam B. nostrum FRANCVM piguit, aut puduit, quin potius semper honorificam ipsorum mentionem fecit, secus quam multi faciunt, qui dedecori sibi esse putant, plebeios habuisse parentes, atque hinc memoriam eorum quouis modo suppressere annuntur. E talium numero noster non fuit, quin potius omni, qua par erat pietate, eos coluit, more quam plurimorum summorum virorum, qui e vili prosapia ortum traxisse, honori sibi duxerunt. E quibus innumerabilibus, vnum saltem nominasse sufficiat, nimirum ELIAM VEIELIVM Theol. D. et superint. vlmensem, qui patrem suum pannificem licet, et curatorem moribundorum, peculiari honoris, et amoris cultu, per integrum vitae tempus profecutus est, quando quidem ex eodem duxisse genus non magis sibi fraudi esse sciebat, quam Socrati, quod pater ei marmorarius, aut Eripidi, quod olitor contigisset: omnibus enim, quae sententia sapientis cuiusdam viri est, eadem est

est origo, et vix cuiquam tam sublimis ortus contigit, cuius nobilitas non ex angusto et paupere lare, ad prima initia, si redeundum, processerit. Est quidem aliquid, natales suos praeclarae debuisse stirpi, et veteri maiorum nobilitate multas insignes familias complecti; at tamen longe meliora sunt, carcinomatibus illustrium familiarum, in quibus exspirat nobilitas, praeclara ex obscura origine orta ingenia, quae progeniem suam virtute nobilitant, et cum immortalis fama publice inlarescunt.

Non! autem sine causa B. noster parentes suos magni fecit. Praeterquam enim, quod communi omnium labe infectum sacro fonte tingendum curarunt, etiam ab incunabulis eidem non solum prima religionis nostrae fundamenta instillarunt, sed etiam, ut porro pietatis et bonarum litterarum initiis tingeretur, tum paedagogis, quos domi alebant, tum cathedralis ludi magistris erudiendum illum commiserunt; immo, cum ardorem discendi et ingenium litterarum studiis aptum prodidisset, totum Musis, ut antea filium Adamum, consecrarunt nullisque sumptibus pepercerunt, spe freti, filium hunc suum, virum aliquando Deo et proximo utilem euasurum esse. Quem in finem etiam ipsi laudabili probitatis exemplo ubique eidem praelucebant. In primis a parente ad bona et honesta quaeuis noster educatus est, dum ab eo nihil, quod vel contra Dei voluntatem, vel quod rursus dediscendum esset, vel accepit, vel didicit, quod fere pro pudor! a multis fieri solet; sed quia ipse mente simplici, ac sincera Deum colebat, ita et hoc graui passu pie filio praecipabat. Nam quoties cum illo in scholam portensem iret, toties optimas inter eundem cantilenas modulatus est, nostrum, ut id pariter faceret, hortatus; deinde tres articulos fidei christianae recitauit, Dei gratiam, et bonitatem, quam innumeris modis senserat, subinde praedicans eidemque dicens;

Audi,

„Audi fili, si Deum timueris, diligenterque preces ad illum
 „fuderis, felicem rerum tuarum successum tibi polliceri po-
 „teris. In bello tricennali, vnice in illo spem meam collocans,
 „e variis iisque grauissimis malis, ac periculis ereptus sum.
 „Non diues sum agris positisque in foenore nummis, idcirco
 „parum opum a me expectare poteritis, sed tamen prospera
 „quaeque vobis euenient, si quam obseruantissime semper
 „summum numen colueritis.

Quapropter etiam, quum e portensi lyceo domum venisset, et
 vix limen intrasset, quaerebat ex liberis: orastisne haecenus? et
 rursus abiens hoc ipsis officium inculcabat:

„diligenter, inquit, orate, liberi, magna vis est precum.
 Prae caeteris autem earum studium defuncto nostro iniunxit, ad-
 sidue illum compellando:

„Orasne etiam fili? audio et video quidem, te esse diligen-
 „tem, sed nihil quidquam aut suscipies recte, aut finies feli-
 „citer in studiis tuis, nisi Deum ardenti precatione in par-
 „tes tuas traxeris: hic solus dat incrementum, et, ipso
 „non dante, et felicem successum largiente, frustra sudatur.
 Et haec admonitiones paternae defunctum nostrum eo, id quod sac-
 pissime fatebatur, adegerunt, vt per totam vitam suam nihil,
 sine precibus, auspicaretur, sed diuinum auxilium fortunandis stu-
 diorum successibus pie aduocaret, ita quidem, vt dimidiam stu-
 diorum suorum partem iam tum se consecutum esse existimaret,
 cum primum Deum deuote inuocasset.

Nec vero minus et matris et auiae maternae fidelitatem atque
 amorem, dum viueret noster, praedicauit, praecipue, quod ab
 incunabulis ipsum ad veram duxerint pietatem, et haec in pri-
 mis ad lectionem sacri codicis impulerit: inde enim factum, vt

vix

vix quatuordecim annorum puer vniuersa biblia bis perlegisset. Domi itaque, et in schola patria sic degens, fundamenta pietatis, et linguarum imbibit, magistris vsus, NICAEO, et M. SEIDELIO, quorum industriam et humanitatem non satis laudare potuit; immo et amorem BERGERI, rectoris, qui ipsum, licet in classe prima nondum sedentem, semper amauerit, et ad optima quaeuis ipsi calcar addiderit, pia coluit memoria, quum e contrario et plagas, et tyrannidem Orbilii cuiusdam in schola execratus est. Inde vero, cum profectus pro aetate non contemnendos omnibus ostendisset, et parentes suos in spem optimam de se erexisset, in illustrem illam prouincialem, quae in portensi coenobio floret, scholam, multorum doctorum virorum foecundissimam matrem, ad capeffenda eo melius artium studia, serenissimi electoris Saxoniae indulgentia, missus, sexennium ibi ita consumpsit, vt omnibus manifestum faceret, sibi nunquam animum fuisse cuticulae curandae caussa, inquilinorum quondam eiusdem coenobii, otiosorum nimirum monachorum more, heic commorandi, sed potius solidi quid in eo tamquam phrontisterio pietatis et bonarum artium addiscendi. Hinc simulac ludum illum intrauerat, nil animo meditabatur magis, quam vt studia sua ad ἀκμὴν proueheret. Ad quod eo feliciter perficiendum ansam ipsi satis commodam praebebant praeceptores optimi, qui tum, magno iuuentutis commodo, scholam istam ornabant, viri et eruditione et docendi prudentia instructissimi, nimirum KÜHNIVS, rector, LAVRENTIVS, conrector et postmodum rector, MANITIVS pastor, WEISIVS primo, deinde GÜNTHERVS, conrectores, FRANCKIVS tertius et ROESERVS cantor.

Hi quidem singuli, a peruersa illa docendi ratione, quae non nisi plagas, ac fulmina crepat, abhorrentes, leniter nostrum tractabant, magno profectuum suorum incremento. Sciebant enim, fatius esse, si fieri posset, amore iuuentutem regere, quam metu; et bonam, ac generosam mentem haud egere plagis, malam et stupidam vero iisdem non corrigi. Cum primis autem ipsi fauebat M. LAVRENTIVS, rector, spectatae tum probitatis tum eruditionis vir, et tot praestantium ingeniorum formator sollertissimus. Hic scilicet ex discipulorum coetu nostrum deligebat, in quem officia liberaliter conferret, et amorem plane effunderet. Nam pietate, et candore eius commotus, famulum sibi eundem adsciscibat, et fidelitatem suam in promouendis ipsius studiis quotidie augebat, adeo, vt non semel postmodum gratus praedicauerit, se, hoc demum duce, viam ad omnem virtutem, ac scientiam feliciter ingressum esse. Sed noster etiam fidelitate, atque obsequio officium praeceptoris suo debitum praestitit, et perpetuo eius fidem, dexteritatem, industriam ac beneuolentiam summis extulit laudibus, nec nisi summa cum veneratione ipsius recordatus est; vt nemo parentis memoriam colere sanctius posse videretur, eo ipso testatus, quam iustum, et pium sit, profiteri, per quem profecerimus, et a quo beneficia acceperimus,

Profecit autem non parum hac ratione, quod hic ipsum ad tractanda studia non nisi necessaria, et vtilia, non ad minus necessaria, inutilia, et ad ostentationem stultam peculiaris eruditionis facientia iterum, atque iterum incitabat. Cum enim aliquando conclauis suae abditus orationem graecam ligata oratione conscribere coepisset, rector hoc forte animaduertens, laudo quidem, inquit, conatus tuos, et diligentiam, sed quia in latinitate multa adhuc tibi deesse video, suafor

suasor tibi sum, vt, feposita tantisper graeca lingua, latinam nunc penitius excolas. Cui quidem monito et obsecutus noster, orationem inceptam relinquebat, non tamen hac mente, ac si studium graecae linguae nullius pretii amplius duxisset; audiuerat enim non semel a praeceptore suo, magnam esse graecae linguae dignitatem, magnam necessitatem, magnam denique in assequenda doctrina utilitatem. Igitur ad tempus tantum ab eadem abstinebat, et nunc, praeter veteres aureae pariter, atque postremae aetatis scriptores latinae linguae, inter recentiores praecipue AVGVSTI BVCHNERI scripta nocturna diurnaque manu versabat, plane persuasus, BVCHNERVM, instar apis, optima quaeque ex antiquissimis iisque optimis auctoribus collegisse, et in succum postea et sanguinem conuertisse. Quo scilicet factum, vt eo maiore animi alacritate eum iterum, atque iterum legeret, et quum imitando feliciter ipsius filii veneres exprimeret, BVCHNERVS alter non immerito audiret. (*) Sic, quod SENECA alicubi recte iudicat, certis ingeniis immorari, et nutriri nos oportet, si velimus aliquid trahere, quod in animo firmiter sedeat.

B 2

Atque

(*) Vid. Jacob Friedrich Meinmanns, weiland hochbedienten Superintendents der Evangel. Kirche zu Silbesheim re. eigene Lebensbeschreibung Braunsch. 1745. Huius celeberrimi viri ipsissima verba p. 14. ita sonant: Ich zog von Ascherleben nach Eisleben, alwo Herr M. Elias Franke, damals Rector war, der eine recht liebliche und angenehme Art zu lehren hatte, einen reinen und siederlichen Buchnerianischen Stilum schrieb; Wie er denn des Buchneri Episteln und Orationes gang außwendig konnte, und die Liebe und Furcht bei seinen Untergebenen dergestalt zu mässigen wußte, daß sie ihr mehr vor ihren Vater als vor ihren Lehrmeister hielten. Und in so weit war mir die unternommene Veränderung nicht gereuet, u. s. f.

Atque ad hoc litterarum genus, praeter consilium rectoris sui, mirum in modum inflammabat nostrum quidam condiscipulorum suorum ab HASS dictus, eques misnicus. Cui quippe, prae aliis in politiori litteratura versatus, omnibusque exemplum diligentiae praebens, varios libros antea ignotos ipsi ostendebat, quos deinde sibi ipse comparabat perlegebatque; quin et in illius nobilis comitatu assidue viuens, totus in mores eius transibat. Nonsolum autem hunc, sed et optimos quosque condiscipulorum suorum, qui vitam viuabant, sine offensione Dei, piam, sine flagitiis honestam, sine proteruia tranquillam, sequebatur, cum malis plane nihil commercii habens. Honestum quippe autumabat, in bonorum imitatione solum occupari, et ab eorum indole discendi, et viuendi sibi sumere rationem. Ad diligentiam denique FRANCO nostro calcar addebant, singulis hebdomadibus per vices instituta, exercitia oratoria, et disputatoria. Cum enim puer in tertia classe federet, et superiores tales se praestare quasi viros audiret, adeo commouebatur, vt largas saepe effunderet lacrymas, penes se cogitans: quandonam et tu ad eiusmodi profectus adspirabis? Totus hinc in studiis fuit, omnique feruore, vt paria praestaret, annixus est. Qui conatus etiam non felici destituti fuere successu; siquidem per eximium Dei fauorem in artibus, et linguis optimos, quique ad academicam culturam sufficientes iudicarentur, profectus fecit.

Ediderat enim iam varia scholasticae eruditionis specimina; nimirum de anima, aliisque argumentis disputauerat, personam Saulis contra Dauidem sustinens in prosa, porro de fati vrbis Numanthiae in ligata oratione disseruerat, denique, sub initium noui anni, praeceptoribus, et condiscipulis publice gratulatus erat. Dei itaque optimi maximi auspicio, parentumque suorum consilio, bono testimonio

monio omnium praeceptorum stipatus, ad altiora academiae lipsien-
 sis subsellia noster contendit, atque ibi, circa Paschatis dies festos,
 anno MDCLXXVI. rectore magnifico clarissimo PFAVZIO, mathe-
 matum professore, in album studiosorum relatus est. Hic iam sibi
 mercaturam omnis generis scientiarum amplissimam apertam videns,
 mercatores prudentes imitabatur; nam sicut hi, ne domum inanes
 redeant, tempus nundinis destinatum bene collocant, mercesque
 vtilis, ac necessarias vndecunque studiose conquirunt, ita et noster,
 in hoc florentissimo praeclarae eruditionis emporio, statim a primo
 accessu, in audiendis praelectionibus continuo versabatur, nunquam
 Vacuae litans, nec voluptatibus indulgens, aut helluationibus de-
 tentus, secus, quam multi, qui e scholis ad liberaiora academiae spa-
 tia progressi, omnem probitatis sensum exuunt, nullamque vel re-
 ligionis, vel famae rationem habentes, more pecorum viuunt.

Ac licet haud ampla sorte vteretur, cum parentum facultates
 sumtibus ad studia impendendis vix sufficerent, et mensae commu-
 nis beneficio frui ipsi non contingeret, tantum tamen abest, vt ha-
 stam abiiceret, vt potius contra fortior iret, tenuisque salino con-
 tentus, parentes nunquam ad mittendam vltra reditus suos pecu-
 niam, aut genium suum defraudandum, adigeret, spem fouens fir-
 missimam, Deum sibi tantum, quantum vita academica necessario
 requireret, praebiturum esse. Quae spes etiam, confisa Deo, con-
 fusa minime recessit; siquidem benignissimus ille caelestis pater ita
 ipsi prospexit, vt semper, quod satis esset, haberet, propriisque
 sumtibus studiorum suorum telam pertexere posset. Largitur quip-
 pe summus ille rerum moderator rite precantibus, et res suas recte
 agentibus subsidia, quibus se sustinere, et ad metam propositam,
 licet non semper pleno cursu, tamen lento gradu, pertingere pos-
 sint.

sint. Quumque, peculiari naturae vel potius Dei instinctu, ad sanctiorem illam disciplinam, quam theologiam vocamus, ferretur, in ea autem, sine accuratiore notitia linguarum, et sanioris philosophiae, se cum fructu, qui praeter priuatum suum etiam ad publicum usum redundat, versari non posse recte indicaret, probeque sciret, illum, qui, neglectis his fulcimentis eruditionis, aedificium erigere conatur, similem esse dementis hominis, in terra arenosa struentis, hebraicae in primis linguae, cuius fundamenta iam in schola portensi iecerat, solidiorem cognitionem, M. HASENMÜLLERO secundum ductum Wasmuthianum praeunte, hausit, logicam vero immo et physicam, et metaphysicam, sub D. VALENT. ALBERTI exercuit, cuius viri amore, atque doctrina adeo capiebatur, vt contubernali suo integrum ipsius sermonem saepe recitaret, ac proponeret: cui quoque ipse, ob modestiam, et diligentiam, non parum charus fuit atque acceptus.

In oratoriis ac poëticis praelectionibus L. FELLERI auditor fuit, cuius amorem vel hoc nomine praedicauit, quia liberum aditum ipsi permiserat, et statutis diebus, bibliothecam paulinam uisitans, nostrum secum retinuerat: ex qua conuersatione, et bibliothecae insignis lustratione, vt saepissime factus est, eruditionis suae penum nimium quantum locupletauit, et subinde, quod usui videbatur, futurum, didicit. Ne autem et iuris publici ignarus prorsus maneret, id quoque, cum aliis disciplinis et vera indole stili romani, ex IACOBO THOMASIO sedulo addidicit, cui se multa debere grata semper mente professus est, et a cuius etiam latere, quoad id fieri poterat, et licebat, nunquam discessit. In ethicis MENCCKENIVM, et in theologicis SCHERZERVM, et RECHENBERGIVM ductores sibi elegerat, quos publice priuatimque indefessa industria audiuit, haud neglectis apud eosdem polemicis, quibus verum inquiri,

quiri, iudiciumque exactum acquiri solet, exercitiis. Quemadmodum autem his ducibus, a quorum ore assidue pendebat, in Musarum penetralia ingressus est, ita etiam, vel maxime accensa semel discendi cupiditate, ex aliorum scriptis optima decerpit eademque agitatione, et ventilatione altius animo infixit.

Verum enim vero, cum hoc ita strenue ageret, vehementior quidam morbus res eius turbabat, et sanitatem paene in discrimen vocabat; in quo quidem curando parentes ipsius nihil intermittebant, et pater, eo melius id ut fieret, domum illum ducebat. Restitutus deinde pristinae valetudini, Lipsiam noster repetiit, et, de continuando studiorum suorum, cursu, serio cogitavit. Hac mente, quae in collegiis proponebantur, celeri rursus calamo excipiebat, et quae absenti ipsi, pessimus quidam ex arca furtim abstulerat manuscripta, denuo sibi, noua addendo interruptaque supplendo, comparabat, quae *αὐτογράφα* maximam partem in bibliotheca eius instructissima olim asseruata inueniebantur. Iam caelum ipsum se attigisse putabat FRANCVS; sed sicut in rebus humanis nihil tam firmum, atque constans est, quin saepius a nouercante fortuna tentetur; ita et felicitatem nostri mox tempestas quaedam grauior conturbabat, dum ipsi ea eueniebat calamitas, ut parens, a quo vitae, et studiorum excolendorum praesidia amplius expectare debebat, vitam cum morte commutaret.

Quam grauis haec sit iactura, optime illi intelligunt, qui simile fatum sunt experti, salus quippe tunc, ac spes nostra, tali fulmine percussa, non nutare saltem, sed penitus iacere, prostrata videtur. Sed noster, licet ex obitu illo grauius sic afflictus, et in ludum et squalorem merito coniectus esset, mox tamen collegit animum, certoque credidit, illud, quod Deus ageret, fraudi nobis esse non posse, neminemque ipsius diphtheram inspexisse. Strenue
igitur

igitur in coepto studiorum cursu pergebat. Quamuis etiam mater per litteras ipsi significaret, se nihil amplius pecuniae in ipsius studia erogare posse, perterritus quidem eo nuncio, sed tamen non absteritus, de sumtibus adhuc per semestre spatium sustinendis, precibus illam sollicitabat; id quod etiam ab eadem impetrauit, et tunc solito ardore in litteras incubuit, inque doctrinam docentium, siue legendo siue examinando siue disputando vtilissima studia illustrarent, mentem omnem defixit, diem se perdidisse ratus, in qua attentas aures illis non admouisset. Elapso autem illo tempore, mediis vltius subsistendi destitutus, abitum tandem meditari coactus est. Etsi enim anxie prouinciam, in qua tenerorum mentes litteris informaret, quaerebat, non tamen illa, nec stipendio potiri poterat. Et quia, hac ratione, fortem minus fauentem experiebatur, penes se mox fatorum inclementiam accusabat, vtpote quae in studiorum continuatione remoram ipsi iniicere videbantur; mox alios, qui parentes opulentos, nullisque sumtibus, vbi filiorum necessitas exigit, parentes nacti essent, felices, se vero ex eo, quod egestas remos ipsi fregisset, et tempestatem quasi in medio cursu ciuisset, omnium, quos sol vnquam vidisset, infelicissimum esse putabat. Verum insurgentes has prauae animi cogitationes, diuinitus admonitus, suppressit, optime persuasus, secundum voluntatem Dei omnia nobis euenire, nec se solum, sed et quamplurimos alios, qui sub vexillo Palladis militant, ab iniqua bonarum mentium sorore, paupertate, premi plerumque, sed non opprimi. Non parum quoque, ad fluctus istos animi sedandos, adiumenti ipsi aureus, de prouidentia Senecae libellus attulit, quo iam in schola portensi delectatus fuerat; cuius ex lectione non paruo pudore suffundebatur, quum intelligeret, profanum hominem hac in parte palmam sibi praeripuisse, et in ferendis calamitatibus bene composuisse animum. Pro-
 pterca

pterea nunc omnia aduersa, tamquam a Deo profecta, sine murmuratione, porro tulit, cuius etiam clementissima prouidentia tunc se se desertum non sensit: quandoquidem, in maxima necessitate constitutus, ab amico quodam, quo cum ipse simul in collegio quod dicitur paullino habitabat, nomine M. ROHR, non solum, cur ita tristis incederet, sed etiam, de candidato quodam ad institutionem puerorum habili compellatus est: scire enim se aiebat ille, et nobilem, et ecclesiae ministrum, in vno loco non procul a Lipsia habitantes, qui paedagogum desiderarent. Cumque noster mentem candidè aperiret, semet ipsum inquiring, ex obitu patris ad incitas redactum non leui desiderio capi, priuati praeceptoris partes in se suscipiendi: amicus, sine cunctatione, quod obscurius dixerat, ipsi enarrabat, locum illum adfirmans, esse Bauaronumburgum, pagum, non adeo procul ab Islebia situm. Licet autem primo tam peregre abire dubitaret, mox tamen animum mutabat, et, quo diuina ducerent fata, eundem sibi omnino esse existimabat.

Per Deum itaque, diligentia, id consecutus, vt alios rursus docere posset, in dictum pagum, et quidem in aedes M. ERNESTI STOCKMANNI, pastoris tum bauaronumburgensis, et postmodum superintendentis alstadiensis, viri integerrimi, ac eruditissimi, *vñ* *in aëgis*, se recipiebat. Hic nactus vltra impuberes annos progressus, ac in oratoria, logica, poësi aliisque elegantioribus disciplinis erudiendos discipulos, ingenii et doctrinae opes ita effundebat, vt parentum expectationi abunde satisfaceret, nullique operae, et labori parceret, sed potius omni alacritate illis artibus, quas iuueni ornamento, atque emolumento esse sciebat, bene ac fideliter eisdem imbueret. Ex qua quidem disciplina, id quod mireris, vnus discipulorum, CONRADVS LAGIVS, lipsiensis cuiusdam iuris practici

C

filius,

filii, qui habita oratione valedictoria, non ineleganti, in academiâ lipsiensem se cum laude conferret, dignus iudicatus est. ERNESTVS quoque STOCKMANNVS alius discipulorum, qui deinde pastoris munere Holdenstadii functus est, et qui ibidem ante aliquot annos e viuis excessit, insignes in litterarum studiis fecerat progressus, quos deinde noster Islebiam vocatus, cumque comitem nactus, porro auxit. Praeterea nec minus duo nobiles, curae ipsius commissi, alter a BVL GSDORFF, qui castra postmodum sequutus est, alter a RÜXLEBEN, qui in praediis paternis rei familiari operam dedit, in bonis litteris profecerant.

Cum autem sic cum laude, et applausu noster spartam hanc per quadriennium ornasset, ad illam rursus deserendam, occasionem ipsi subministrabat M. TOBIAS MICHAEL RIESIVS, lipsientis, qui, nescio quo casu Bauaronumburgum delatus, per tempus aliquod ibidem commoratus fuerat, abiturus autem nostro in aurem perquam familiariter infusurrabat, se, inquiens, Ienam de nouo salutare, et si animus ipsi esset, spartam suam mutandi, et secum hanc solidioris doctrinae nutricem vna adeundi, se ipsi omnia, quae vitae necessitas ibi exigat, esse suppeditaturum. Qua quidem, porro in academia aliquamdiu viuendi oblata occasione noster mirifice gauisus, pronis vlnis beneficium arripuit, miratus pie diuinam prouidentiam, quae, cum olim Lipsiae nemo beneficia in ipsum collaturus fuisset, nunc lipsiensem ciuem peregre abire iussisset, qui ipsi, quae ibi frustra quaesiuerat, vltro alibi expenderet. Abibat igitur bonus RIESIVS post festum Paschatis Ienam anno MDCLXXXI. et noster circa Michaelis ferias, die nimirum XX. Sept. sequebatur. Tum vero ille, quae promiserat, sancte seruauit, ipsumque cumulatim, quod grata per omnem vitam memoria praedicare non cessauit, beneficiis affecit; vt adeo exemplo ipsius suo edoceret, quod, licet

cet tenacissima illa virtutum remora, egestas, nonnunquam studiorum cursum retardet, et a multis saepe laudabilibus nos conamini- bus retrahat, animus tamen non plane despondendus sit, sed spe- randum potius, in tanta Musis patrocinantium penuria, vnum sal- tem, atque alterum melioris praecordii, Deo sic dirigente, iri obla- tum, qui, inter haec virtutum obstacula, eluctari nitentibus opem sint laturi, atque operam. Id quod noster nunc hoc modo affecu- tus, denuo studia sua more consueto, hoc est omni ardore tractauit, ita vt in theologicis D. BECHMANNVM et FRISCHMVTIVM, in hebraicis vero DANZIVM, et in mathematicis WEIGELIVM audiret, eorumque lectionibus continuo interesset. In primis vero obuiam habebat, ad promouenda studia philosophica, facilitatem ac bene- uolentiam clarissimi POSNERI; sub cuius quippe praesidio, de co- lumna nubea, atque ignea, docte elaboratam disputationem defen- dere quidem ipsi animus fuit, sed, quo minus, id fieret, praegnan- tes causae impediuerunt.

Interim tamen non semel publice opponentis partes sustinuit eoque ipso industriam suam, tam praeceptoribus, quam commili- tonibus, probauit; quin et, in docendo e suggestu populum, fre- quenter se exercuit, et vt paucis multa complectar, ad tantum eru- ditionis cumulum nunc profecerat, vt anno MDCLXXXII. d. XXVII. April. praemissis consuetis examinibus, magister artium, sub decan- natu clarissimi WEIGELII, cum laude, renunciari posset. Hoc igitur dignitatis gradu, ceu exantatae in liberalibus, scientiis indu- striae praemio, potius, ne inanem gereret titulum, sed potius pro- fectuum suorum ederet luculentum specimen, disputationem iterum conscripsit, id vnice meditans, vt, se habilem redderet, aperiendis scholis, commodisque academicae iuuentutis, quam fieri posset, promouendis. Sed praeter omnem spem accidit, vt per litteras a

M. STOCKMANN, qui solidam ipsius eruditionem et in formandis aliis dexteritatem probe perspectam habebat, atque propterea illustrissimo Mansfeldii comiti, IOHANNI GEORGIO, ipsum nominauerat, ac commendauerat, Islebiam deponeretur officio correctoris ibidem admouendus. Quod quidem ipsum nostro per litteras non modo significauerat STOCKMANNVS, sed, quum lenam breui post, filios inuisurus, veniret, et salutem nostri promotam studiose cuperet, coram etiam vt operam suam dietae spartae addiceret, eum conueniebat, serio cohortans, ne illam, pariter, ac oblatum quondam Mittelhusae sacrum munus, repudiaret. Cuius liberalis olim hospitis sui voluntati libenter obsequutus ibat, quo fata ducebant, Islebiam. Correctore vero ibidem adhuc praesente, subcorrectore tamen deficiente, illustris comes prouinciam hanc ipsi demandabat; quam etiam licet luculento cum salario tum non coniunctam, libens in se suscepit, recte persuasus, non plane nostri esse arbitrii, muneris rationem, aut pretium statuere, sed diuino potius nutui ac consilio sapientissime illud nobis decernenti, esse assurgendum. Quem in finem etiam, sine mora, synedrio Islebiensi, et in primis superintendenti generali, qui tum praecerat, IOH. ROESNERO, se fistebat; a quo, post varia exhibita eruditionis specimina, sollempni ritu introductus, spartam, quam nactus erat, ita ornauit; vt omni, qua fieri poterat, industria, ac fide officio fungeretur. Quo quidem factum, tantam vt de se comiti suo faceret spem, augetetque opinionem, vt, cui rectoratus tunc vacantis munus nunc conferretur, inter caeteros haberetur dignissimus.

Erat igitur auspicatissimus dies XIV. Aprilis mensis, anno cło lo CLXXXIII, quo, more maiorum, munus illud amplissimum rectoris rite, ac publice FRANCVS noster Islebiae adibat, cum ne
annum

annum quidem totum priori prouinciae praefuisset. Nunc vero, vt conceptam de se omnium spem impleret, ac scholam, ob grassantis pestis malum ferme desolatam, instauraret, omnem mouit lapidem, salutemque et incrementum eius summam sibi legem posuit. Quamobrem ab industria, et fide illa, quam in priore sparta abunde probauerat, in noua eademque ampliore constitutus, tantum abest, vt remiserit, vt potius quia ad docendam iuuentutem plane natus videretur, in dies eam magis auxerit. Atque ita campum sibi amplissimum oblatum videns, semina doctrinae suae vberius spargendi, suoque adeo talento, in praestantissimo ecclesiae, ac reipublicae quodam seminario multum lucrandi, in iuuentute nunc formanda, commodisque eius prouehendis, omne plane tempus terebat. Cum autem hoc ita strenue ageret, et mensa, quam ambulatoriam dicunt, quamque optimates ciuitatis, et inter hos praecipue FRIEDERICVS a KOSPOTH, summus ephorus comitatus mansfeldensis regio-electoralis admodum ipsi fauens, parabant, frueretur, pertaesus tandem incommoditatis, quam ille, victum sumendi, modus tecum ferre solet, de honesta vitae curarumque socia sollicitus esse coepit. Et ecce! virgo optima, AMALIA, Dauidis Seyfarthi, quaestoris wiefenburgensis filia, in famulitiis tum illustrissimae comitis mansfeldensis SOPHIAE ELEONORAE, vitam agens, a sacrorum antistite, ROESNERO, ipsi commendata, virtutibus suis nostrum tantopere cepit, vt veniam ab illustrissimo comite in matrimonium illam ducendi, ea, qua par erat, submissione peteret. Qua demum impetrata, sponsalia fiebant et sollempnibus sacris confirmabantur Islebiae die IV. Nouembr. anno MDCLXXXIII, praesentibus illustr. comite Mansfeldiae IOHANNE GEORGIO, illustrissima ipsius coniuge, illustr. comite a SOLMS IOHANNE CHRISTIANO, generosissi-

mo domino FRIDERICO a KOSPOTH aliisque et generis nobilitate, et munerum dignitate viris conspicuis.

Hac cum coniuge sua dilectissima coniunctissime ac suavissime vixit, ex eaque suscepit octo liberos, IOHANNEM GEORGIVM, qui octo diebus, postquam lucem hanc adspexerat, elapsis, obiit; deinde SOPHIAM ELEONORAM, M. CHRISTIANI FRIEDERICI PEZOLTI, gymnasi. isleb. subconr. quondam meritissimi, patris mei honoratissimi, vxorem, matrem meam dilectissimam, quae adhuc est in viuis; ANNAM porro DOROTHEAM, quae pariter vix bimula mundum reliquit; postea IOHANNEM CHRISTIANVM, rectorum quondam scholae stasfurthensis; tum vero BARBARAM CATHARINAM, quae nupta est cum domino TIEZMANNO, gymnasii islebiensis collega; praeterea ANNAM SOPHIAM REGINAM, domini PETRI, iuris practici vxorem, et MARIAM denique ELISABETHAM, quae octodecim annorum virgo, ex hac vita anno MDCCXVI. euocata est. Ad postremum vero anno MDCLXXXIX die IX Decembr. enixa est haec ipsius vxor filium mortuum, ex quo partu ita debilitata est infelix puerpera, vt, accedentibus aliis atque aliis symptomatibus, post octo dierum decubitum, ex hac aerumnarum plenissima valle decederet. Quae praematura, atque acerba morte, vulnus grauisimum animo suo inflictum sensit noster, quum collateralem amisisset, quae non tantum omni amore, fide et obseruantia ipsum profecuta erat, sed etiam prouide, ac diligenter domum curauerat, magnaue sedulitate liberos educauerat. Quare etiam, cum in moesta ac solitaria viduitate, tum rei familiaris administratio, tum liberorum educatio ipsi, laboribus Sisyphiis distracto ingrauesceret, praeuia diuini numinis inuocatione, coniugium secundum meditari coepit. Quod consilium ipsi tam feliciter cessit.

vt

vt re'diu ac bene deliberata, illud cum honesta multarumque virtutum encomiis commendata femina, MAGDALENA VOGELIA, M. IOH. REICHENBACHI pastoris hetstadiensis relicta vidua iniret nuptiasque solenniter celebraret Hetstadii MDCC die II Nov. Hoc alterum matrimonium, licet infoecundum, fortunatum tamen satis fuit, dum haec ipsa, quam vitae consortem sibi denuo legerat, tam bonae vxoris quam bonae matris officium exequi, suarum esse partium existimabat.

Haecenus igitur ipsius vita enumerata, animi etiam dotes, quibus nimium quantum fulsit, et quae, tam doctrina, quam virtutibus, vtramque faciunt paginam, praeter ea, quae iam hinc inde attingi, vberius exponam. Quod ad doctrinam attinet, praeditus non solum erat, vti ex eis, quae dixi, liquido apparet, ea eruditione ac *πολυμαθεία*, quo officii partes numeris omnibus implere posset, sed etiam prudentia, ac fidelitate, quae in felici iuuentutis magistro necessario requiruntur, ex asse eidem satisfecit. Hinc etiam, cum constanter in sudore perseuerare sibi proposuisset, ac idcirco labores plane herculeos, odii, inuidiae, pulueris, foetoris, ingratitude, contemptus, ac taedii plenissimos non formidasset; secus ac plurimi, qui otia aut diuitias e studiis quaerentes officinas scholasticas cane, ac angue peius effugiunt: nullum remittebat tempus, quod litteris non impenderet; sed vti in flore aetatis constitutus continuo studio totas inuigilauerat noctes, ita et, in maturitate illius, negotiorum minime pertaesus laborumque patientissimus, ne horam quidem relinquebat, quam studiis non tribueret; miraque porro alacritate, per omne genus litterarum, grassabatur, et quodcunque aut scripserant theologi, aut protulerant philosophi, aut dixerant oratores, aut annotauerent historici, aut finxerant poëtae diligenter

ligerter euoluebat. Quamobrem, quoties a muneris occupationibus ad requiem se reciperet, omne otium in negotium vertens, ad Musas redibat, nullumque aliud, post labores, laxamentum quaerebat, litterarum deliciis.

Nec ab hac quidem diligentia, aetate nunc ingrauescente quidquam vnquam remisit. Quum enim et in senectute oculorum ipsius tanta esset acies, vt, quae typis minutissimis exscripta erant, nullo omnino perspicillo adhibito, cognosceret, semper aliquid legit, ac meditatus est, quod orrandis adolescentibus conferret. Haec vero eius propria laus fuit, vt, quum ipse politioris litteraturae peritissimus, variaque eruditione admirandus esset, et in omnibus scientiae scholasticae partibus excelleret, discipulos numquam vanis persuasionibus, qui plurimorum hodie mos est, aut alienis a vera sapientiae tramite studiis aut saltibus seduceret. Praeter ea nec plura, aut subtiliora quam caperet ipsorum animus, sed quae vel maxime profutura iudicabat, proposuit; ad eorumdem captum omnia accommodans prudenterque discernens, non quantum ipse docere posset, sed quantum ipsi ad discere valerent. In primis autem quam singulari facilitate ac perspicuitate logicam, sine qua nihil praeclarum, ac firmum in eruditione paratur, docuit, tam facili negotio exposuit dicendi artem, optimorum quippe tam pristini, quam hodierni aevi rhetorum praecepta publice, ac priuatim discipulis explicando explicataque ad vsum quomodo transferrent, monstrando, crebris denique exercitiis oratoriis eosdem confirmando. Quemadmodum, etiam nullus facile auctorum classicorum fuit, quem suis non aliquoties praelegerit, ita et peculiaria ex iis cultioris stili fundamenta in eorum vsum diligenter adornauit, ipse romanae linguae bonus custos vindexque acerrimus; quamuis in tantas se angustias nunquam redigeret, vt nihil probaret,

ret,

ret, nisi quod in Cicerone inueniretur. Purum, ac castigatum quidem, sed tamen liberum amabat stilum, ad quem etiam assequendum, praeter dictos auctores, ad lectionem poëtarum assidue suos stimulat, et in poësi strenue exercebat, probe conscius, poësin negligentes in soluta oratione nihil tersi, nihil acuti scribere posse: Verum de hac ipsius ingenii virtute ac doctrina pluribus testantur variae orationes habitae, neruosa carmina, argutae inscriptiones: loquuntur ipsius eruditionem schediaasmata disputatoria, et programmata, typis excusa, quae optimis quibusque eruditorum arriserunt, et quorum pars altera, priorem magnitudine longe excedens, in lucem quoque propediem prodire non reformidat; probant denique theologicam ipsius scientiam notae in compendium Hutteri scriptae, et resolutum illud compendium biblicum Leusdenianum. Praedicant praeterea ipsius *inuentura* multi, et virtute, et fama florentissimi viri, qui ex ipsius disciplina prodierunt, et postmodum ad culmina variarum dignitatum cuncti officiisque praefecti sunt. Erat enim ille, quod palmarium praeceptoris boni decus est, non cryptologus in cathedra, nec arcana crepabat, nec inuidus dotes suas condebat, sed candide desiderijs studiosorum satisfaciens, illis in omni negotio lampada praeferebat, licet non semper parieti affigeret, aut in vulgus emitteret, quae et qualia cum suis tractare vellet; sciebat namque, hoc esse non minimam charletaneriae speciem, quam quippe frugi praeceptor, suorum emolumentum absque iactantia quaerens, quouis modo euitare solet.

Praedicant adhuc mecum omnes boni dexteritatem eius ac in iuuentute extimulanda sollertiam, ac vigilantiam, in eo quidem, quod prudenter ingenia discreuerit, quae nimirum frenis quaeue calcaribus indigerent. Quem in finem etiam probe venas discipu-

D

lorum

lorum tentans, ac cognoscens, quo sua natura quemque duceret, et quatenus proficere posset, omnes occasiones callide obseruabat, quibus illos aut doctiores, aut, quod maximum, meliores redderet. Nec quemquam discipulorum neglexit vumquam, aut postposuit, si cui curta forte esset supellex: quod quidem illi facere solent, qui marsupio, non conscientiae, consulunt, illi scilicet doctores, in quibus sincera illa, ex qua reliquae virtutes tanquam ex scaturigine inexhaustae fluxionis propullulare solent, pietas desideratur. Haec vero non leuiter ornabat nostrum. Equidem id, sine vlla assentationis suspitione, de eo affirmare ausim, rem nullam maiori ipsi curae in vita fuisse, quam rectum de Deo rebusque diuinis sensum, veraeque religionis cultum. Quapropter etiam omnium actionum fundamentum vnicum, et primarium in timore Dei collocabat, pietatis studio ita deditus, vt illam non labris saltem vsurparet, sed imis animi penetralibus infixam vita factisque exprimeret, atque ita, non tam sermone, quam ipsa re, esset christianus.

In vtraque fortuna Deo tam constanter adhaesit, vt neque aduersa animum eius deiiceret, nec prospera inflaret; sed ipse potius in benignissimi numinis voluntate, semper optima, prorsus acquiesceret. Assiduus hinc in meditationibus sacris, ac frequens, quod hodie raro in plerisque videas, in concionibus publicis, nisi senii incommodis, ac negotiis instantibus impediretur, numquam hypocriseos ludibria, sed verae deuotionis signa semper edebat, ac contra irruentium hinc inde difficultatum impetus se precibus armabat. Illud autem praecipue, ac quotidie exposcit precibus, vt, ingruente assiduorum laborum magnitudine, robur et tolerantiam, in perpetuis puluerulentae officinae molestiis, sensus perquam firmos, vt perferantur, constantiam singularem, vt contemnantur, beni-

benignissimus Deus ipsi largiretur. Praeterea immensa beneficia, quibus eum diuina bonitas cumulauerat, grato semper animo vel publice praedicauit, et indigno sibi collata omnia, humiliter confessus est. Denique et preces et cordis sui suspiria, pro incolumitate magistratum, regionis, ecclesiae, scholae, et omnium demum salute, singulis diebus ingeminauit, id quod omnes norunt, qui ipsum mane, in inferiori gymnasii porticu, ubi matutinam ante lectionem ambulare consueuit, orantem audiuerunt. Quod quidem precum studium suis etiam serio inculcauit, nihil rite, persuasus magis, quam ille Plinius, nihilque prouidenter homines, sine Dei immortalis ope, consilio, honore auspicari. Ita prouide ac diligenter cauit, ne prauo magister exemplo discipulos corrumperet; sed emendatus primum ipse, emendare et hos annisus est; nam, frustra corripere delinquentes, sciebat, discipulos, si per docentis vestigia peccent; et turpe omnino doctori esse, quum culpa ipsum redarguat.

Maxima idcirco circumspectione vitam suam noster instituit moresque suos ita rexit, ut discipuli pietatis, ac virtutis exemplar exinde petere possent. Nouerat quippe, magnam vim in exemplo sitam esse, et adolescentes in eorum, quibus utantur magistris, vitam, veluti speculum intueri, eorumque dicta simul, et facta obseruare ac imitari; ideoque summe necessarium sibi esse existimabat, ut non tam monitis praeceptisque monstraret, quam exemplo suo illis, in directa ad decus et laudem via, praeciret. Quae sane una potens est ratio, discipulos a prauo reuocandi, et in bono rectoque confirmandi. Igitur ab illo doctorum genere mirum quantum distabat, qui ex propria praxi vitia discipulorum taxantes, munus sibi demandatum foedissimis conspurcant moribus, quique bona

praecipunt, talia autem ipsi non faciunt, atque adeo bene loquendo, ac prave viuendo, sua se ipsi voce damnant. Hoc in primis ipsius opus fuit, hic labor, vt freno rationis affectus, et diuini dictamine spiritus rationem moderaretur, praesertim, quum nonnumquam praeceps feruor animum eius ad iracundiam propelleret: quo facto, alioquin, ira percitus, facile quid quam bono viro indignum committere potuisset. Verum quamuis natura ἐξύχολος esset, diurnas tamen simultates cum vlllo non gerebat aut odio indulgebat, sed, composito mox animo, multa specimina ostendebat benignitatis, ac poenitentiae. Et quemadmodum in hac ita et in aliis humanis infirmitatibus studiose inquirendis, et per quotidianam emendationem seponendis industrius erat: lubentissime quippe agnoscebat, se carnem in sinu gerere, atque idcirco, more aliorum hominum, suis laborare naeuis. Nemo enim existit, Plinio iudice, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laedantur: etiam sanctissimi sunt instar vini generosi, in cuius tamen fundo feces subsident.

Improbitalis omnis, ac futilitatis hostis fuit acerrimus, minimeque illa vitia in discipulis tolerabat, sed potius illos semper ad puram mente colendum numen, quod in quocunq; ausu expectandum haberent auxiliare, adsuefaciebat. Nam hanc sibi supremam curam impositam esse credebat, vt suis timorem Domini, quo duce, ac comite per aspera scientiarum ad astra itur, amaraeque artium radices dulcescunt, instillaret, eorumque animos a contagiosis voluptatum illecebris retraheret, flammisque ipsarum, et semina, quibus animi vigor discendique alacritas minuitur, restringeret, honestatem vero ac virtutem penitus implantaret. Quapropter errantes officii serio admonebat, inque virtutis viam, vnde exorbitarant, reuocabat, semperque decentem, et moderatam disciplinam exercebat,

cebat, haud ignorans, summam quidem officii scholastici in castigando, ac verberando minime consistere, imo faucia discipulorum capita cuiusuis, docta autem illa efficere boni, ac fidelis praeceptoris, sobriae tamen, et prudentis disciplinae eum non plane negligentem esse debere. Inter scyllam itaque inconsulti feruoris, et charybdim nimiae indulgentiae prudenter vela dirigens, id vnice agebat, vt discipulorum amorem, sine quo vniuersus praeceptorum, quantumuis summus, ac laboriosissimus, in discipulis regendis conatus irritus est, consequeretur, ac conseruaret. Qua quidem humanitate id impetrabat, vt illi, amore praeceptoris, a delictis sibi magis cauerint, quam metu poenae.

Ad quam humanitatem etiam accedebat insignis ipsius prudentia, coctum gubernandi, atque auctoritas, diuinum a Platone bonum nominata, qua mire valens, suos in officio seruare poterat; et plus nonnumquam verbulo quam verberibus, plus vultu, quam duro imperio proficiebat. Nec minus illos in gyro obseruantiae debita beneficia retinebant, quibus plurimos illorum maestabat; quandoquidem multa gratis saepe iis praestabat, victumque praebat, licet parum gratiae nonnumquam exinde reportaret, reiue suae domesticae, et facultatum idcirco facienda et ferenda iactura esset. Erant enim, quod etiam HEIDMANNVS de CASELIO affirmat, benignitas, et liberalitas propriae ipsius virtutes, felicitatisque non minimam partem interpretabatur, in alios conferre beneficia posse. Nulli proinde discipulorum suam iuuandi promittuntinam denegabat, sed in omnes, praesertim egestate pressos, beneficentiae riuulos, licet nonnumquam ex tenui alueo et hi ipsi affluerent, deriuabat; quam virtutem quidem pauci in eo laudarunt, plures mirati, plerique autem, dum parum prouidus ipsis videretur, cauillati sunt,

illi praesertim, qui sibi solum attendentes, omnia per ambitionem et lucrum aestimant, quique nihi agunt, nisi paratam sciant mercedem. Ab horum igitur indole nosster abhorrens, nulla pecuniae, ac opum, quantum nimirum soeneretur, quantumque meteret, cura tenebatur, licet illas facile, prioribus cumprimis annis, mores seculi imitaturus, corradere potuisset; sed fortunarum affluentiam, sincero in Deum affectu, ac pietate, viliolem censebat, meliorque quam locupletior esse studebat. Quapropter etiam, quum, ad spartam rectoris cum alia lautiori commutandam, alibi non semel ipsi offerretur occasio, et anno MDCXCVIII primum ab ipso clementissimo comite, postquam coram ipso, festo epiphaniarum in templo arcis arterensis concionem habuerat, et deinde a FABRICIO, cancellario, de suscipiendo pastore Petro-Paulino et assensione consistorii compellaretur, sepositis tamen maioribus siue honoribus siue commodis, vocationem illam magna moderatione deprecatus est, quamlibet mutationem periculosam, et laudabilius esse, sciens, mereri dignitatem, et non gerere, quam immeritam ambitiosius suscipere.

Auaritiae itaque laqueis non irretitus, nec ambitionis fumo tostus, sed forte illa, quam Deus ipsi, non quaerenti, olim obtulerat, contentus, Islebiae consensescere, quam alibi nouis fluctibus immergi, malebat, summaque, quod firmiter constitutum habebat, contentione, quod sui muneris erat, exsequabatur. Porro nec alienae fortunae vnumquam inuidebat, *Φιλαντίας* fraude, qua se ipsum, et sua pluris faceret, aliena vero deprimeret, et carperet, ex animo profus eiecit; haec enim, instar Troiani equi, inimicitias, odia, simultates vbertim effundere solet, ac diffundere. Quare etiam nihil supra vires sibi arrogabat, sed aliorum dona reuerenter agnoscebat, ac superioribus locum, et honorem, ipsis debitum, promptissima mente, et voluntate deferebat. Praeterea id egit cupide

de beatus FRANCVS noster, dum viueret, ne ingratus vumquam videretur, vt et in iuuentute, et in mediae atque vltimae aetatis tempore, quaecunque adeptus effet, commoda atque ornamenta vitae, ac studiorum, illis, a quibus acceperat, secundum Deum immortalem, memori mente tribueret, et accepta referret. Nullis tamen prorsus beneficiis excoecatus, bonum malum, et malum bonum nominauit, sed veritati amicior, quam vllius fauori, et auctoritati, in dicenda sententia, honestam semper vsurpauit libertatem, scapham scapham dicendo, nullum propterea vel odium, vel inimicitiam, quae fere comes veritatis esse solet, veritus. Nesciit plane vultum fingere, aliudque dicere, aliud vero intelligere, quod quidem plurimis, hac tempestate, in more positum est, qui, turpi quadam leuitate, benevolentiam simulant cumulateque studia, et officia ore deferunt, corde tamen fraudes, ac dolos machinantur. Sincerum adeo nulloque fuce correptum candorem omnibus probauit, vt, in gestibus simulatum quid, vel in verbis ad fraudem compositum prae se ferendo, vanis pollicitationibus quenquam circumducere, alienum prorsus a bono viro statueret. Denique nec vllum in eo elati animi signum vidisses, sed mores, verba, gestus, ac facta omnia modestiam singularem loquebantur. Erant subinde iniqui methodique informandi plane rudes censores, qui litteras, atque artes vix a limine salutauerant, aut per transfennam modo inspexerant, et tamen ipsius per tot annos in eodem opere versantis, atque adeo, quae genuina esset via, et ratio erudiendae iuuentutis, probe gnari, conamina insulse reprehendebant, ea quidem mente, vt bonum illud, quod, solida doctrina, ac temperata disciplina sua, in Dei gloriam iuuentutisque salutem, promoturus erat, impedirent, ipsumque, et nomen eius satis clarum perfringerent.

Immo

Immo eo tandem dementiae procedebant nonnulli inuidorum, quum merita ipsius, et gratiam apud clementissimum comitem limis aspicerent oculis, vt varia fingerent, quibus maculam ei inurere, ipsiusque auctoritatem pessumdare posse viderentur. Igitur, quae optimo suscepta consilio erant, pessimo studio interpretabantur, bona dissimulabant, aut prorsus reticebant, quos tamen, si coram audisset, viros bonos immo amicos forte existimasset.

Maleuolorum tamen horum omnium conuitia, calumnias, et obreſtationes placide tulit noster, haud ignorans, neminem mortalium, absque aliorum, et in primis lumbricorum, e terra putrida productorum, morſu, vitae huius curricula transire posse; atque ea esse plerosque hominum mente, vt officium dextre facientes non semper dextre iudicent. Satis ipse praeterea habebat, si conscientia rite administrati muneris duceretur, qualiacunque demum ea essent, quae in ore sinistre iudicantium versarentur. Quae animi fedatio emicabat quoque, quum indignissima multa saepe perpeti cogeretur a pigris, sceleratis atque ingratis discipulis, quos in belluas turpissimas degenerare, non sine dolore ac gemitu, deprehendebat. Ferebat enim et horum calumnias, mendacia atque ingratitude, Deoque omnia committebat; nec de laboribus, ac fide quidquam remittebat, eam omnino ob causam in numerum sapientum merito referendus, siquidem hi, quamquam vehementes insultus malorum experiuntur, aduersus eos tamen et similes calamitates, animum ita muniunt, vt patientia omnes afflictiones superent. Quos imitaturus, noster ad omnes impetus, ac fulmina rerum, impetrabili patientiae galea, se semper obfirmavit, animoque nunquam fractus est, licet et calamitatibus domesticis non raro exerceretur, nunc morbis correptus, nunc alia molestia tentatus; semper enim
 diuini

diuini redemptoris sui vestigijs insistere, et illius quasi cruci suos quoque humeros applicare studuit. Atque hunc suum magistrum in primis sequuturus, certo animi proposito, neminem laesit; et, quum fecissent alii iniuriam, non tam vlciscendi quam remittendi occasiones cupide quaesiuit, generosius statuens, condonare iniurias, quam vindicare. Quum igitur tam honesta modestaque mente esset, id vnice egit, vt inter omnes, quibuscum versaretur, in primis collegas suos, concordiam, arctissimum illud collegiorum vinculum, sartam tectam conseruaret; et si quae scintillulae contentionum, ac dissidiorum forte emicarent, vt in ipso quasi cinere opprimerentur, *χερσίν τε ποσίν τε* allaborauit. Collegarum certe, quos vere tales, non inferioris conditionis homines censebat, tanti fecit amicitiam, vt multum non raro, pacis, et amoris conseruandi causa, de iure suo remitteret, immo manfuetudine ac bonitate omne odium frangeret, ac dissiparet, silentioque tandem suo turbis praescinderet ansam vlterioribus.

Et in hoc stadio laborum, et virtutum currere amplius inuisisset beatus vir, nisi Deo aliter visum fuisset: huic enim placebat, emeritum militem, pro tot exantlatis molestiis, ac laboribus, immarcescibili gloriae corona nunc ornare, eidemque amplissima aeternae salutis praemia conferre. Licet enim corpore satis firmo, per integrum vitae tempus, vsus esset, ingruente tamen senectute, quae ipsa morbus est, variis infirmitatibus illud obnoxium factum, per aliquod tempus asthmae conuulsu periculose coepit laborare, adeo quidem, vt omne auxilium, et medicina frustra adhiberetur. Quod quum animaduerneret, et, ex defectu virium, sibi ex humanis discedendum fore sentiret, cum Elia propheta optabat, animam vt suam Deus ex se tolleret, vehementer cupiens, cum gentium doctore, dissolui, et cum Christo esse, vt ergastulo vitae huius mi-

E

ferae

ferae ereptus, in coelestia tandem gaudiorum nunquam terminan-
dorum palatia, vbi tranquilla sunt omnia, transferretur.

Cuius quidem honesti voti compos noster factus, apoplexia
ante correptus anno dō 1ō CCXXVII, die tertio mensis Martii, ho-
ra quinta matutina, velis passis in portum paratum, et perugium
peruectus est; postquam annis vixit vnum et septuaginta tribusque
diebus. Elatus est modica pompa funeris, maxima doctorum, et
amplissimorum hominum frequentia. Concionem funebrem AN-
DREAS KVNAD, theologiae doctor, et superintendens generalis co-
mitatus mansfeldensis, ex verbis paullinis epistolae ad Epheseos scri-
ptae, capite tertio, commate decimo nono, habuit. Epicediis
praeterea ornatus fuit variis beatus vir, quorum hic vel vnum atque
alterum subiungere liceat, memori illius Sturmiani: Satis molesta
res est versus malus, mors est adiuncta, vox deterior.

Post exantlatos vitae scholaeque labores,
FRANKIUS aeternas gemit adire domos.

Fortunate senex, TVA gloria tuta manebit,

Dum mansfeldiacis rura coluntur agris.

Tot sunt praecones meritorum operumque TVORYM

Quot TIBI discipulos Musa benigna dedit.

ANDREAS KVNAD,

S. S. theol. D. et comit mansf, Superiunt, g.

Rector noster rexit et rectus est,

Rexit minores, rectus a maiore

Nam ex praeceptore vitae fit discipulus mortis,

Ex prima classe in infima collocatus,

For-

Fortassis quod lectionem suam non tenuit?

Sed bona verba quaeso!

Adiuuat discipulum doctor ac ductor, coelestis,

Cuius auxilio prouectus prouectiores acquirit,

Et hoc pacto in classem selectam transfertur,

Vbi optimus optimi praeceptoris discipulus theologiam docet

Non viae, sed patriae,

Non apprehensorum, sed comprehensorum,

Vbi non Fides, sed Vides.,

Praesens enim est imperfectum

Perfectum, et plusquamperfectum est futurum.

Gratulamur ad humum humiliato honorem hunc nobilem,

Et ratione destituito sapientiam non mobilem,

Preccantes, precati, precaturo,

Vt maneat magister noster in manu magistri

Vtque fruatur fati, quibus frui fati non potest,

Sed pro dolor! instat examen)

Mihi, tibi, illi, nobis, vobis, illis;

(Qui igitur stare cupit,

Nomen det nomini Seruatoris,

Amandans

Latinum ER, Graecum RO et Hebraeum RES,

Et emendans

Dimidiam lunam, plenam lunam, et litteram caninam,

Idque Iesum fide intuendo,

Et probitatem vitae induendo,

Vtrumque adiumento τοῦ χριστοῦ χριστοῦ

Qui est via, veritas, et vita.

Hanc lectionem quilibet discat,
Ne domum eius Deus deducat.

Illicet.

In memoriam beati et moestorum fo-
latium scrib.

IOH. ERDM. BIECK,

Past. Pct. P, et Conf. Ass.

Epitaphium.

C. S.

Hic. situs. est.

M. ELIAS. FRANCIVS,

P. L. C.

et.

Gymnasii mansfeldiaci. quod. Islebiae. floret.

Bene. meritus. et. emeritus.

RECTOR.

Vir.

dignus.

Quem. mali. extinctum. boni. perpetuo. viuentem.

optarent.

Quem. Deus. non. repudiavit. sed. amavit.

Cum. paedagogum. fecit.

Senecae. Ciceronis. Demosthenic.

et. Socratis. cultor.

Sophocleos. edidit. libros.

Victurus. enim. genium. debet. habere. liber.

Desit.

D. V. Non. Martii. MDCCXXVII.

Ar.

At. ne. fama. desinat.
Vixit. viuit. et. viuet.

Eruditionis. oraculum.

Tu. viator.

Difce.

Quomodo. Gymnafium. fic. et. vita.

Non. quam. diu. fed. quam. bene.

R e f e r t.

Ilicet.

Studii et pietatis cauffa p.

I V S T V S S C H O E P F F E R,

Past. nicol. et confist. all.

Occubuit nuper genitor pietate colendus,

Nunc obiit, chari qui patris instar erat.

Sic strages stragem sequitur, pressoque dolore

Solliciti rursus caussa doloris adest.

Quid vero releuat casus curasque bis orbi?

Tu, tu cunctorum conditor, atque pater!

Te supplex veneror, quassae succurre saluti,

Vt post tot luctus gaudia mente feram.

Ita desideratissimo domino collegae, et fidei suae
in sacro baptismatis fonte olim expromissori
lugubre officium praestare voluit, debuit

M. CHRISTIAN. FRID. REINECCIUS,

Gymn. Contr.

Ludus nonnullis schola dicitur ac paradifus, (*)

Eoo qualem condidit orbe Deus,

Ast illis minime subscribo, pollice presso,

Nec mihi persuadet Suada Periclis idem :

E 3

Sify-

(*) Vid. Accerr. philol. cent. VI. hist. LXIV.

Sifyphius certe labor Herculeusque docentum,
 Ludum non ludum verius esse probant.
 Et fingas quoque, posse scholam dici Paradisum,
 Discendum talis forte futura choro est,
 Dum Sophiae fructus, dumque aurea scilicet inde
 Illis linguarum carpere poma licet;
At vero hoc dici quoque nomine posse magistris,
 Iudaeus credat (non ego) apella, scholam;
Nam pro mellitis pomis quam fellea carpunt?
 Quamque illis sterilis saepe colendus ager?
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
 Pro suauisque rosa nil, nisi spina viget!
Non fluit Euphrates illis, non gemma, nec auri
 Illorum decorat splendida gaza Lares.
Adde, quod haud raro coluber se immisceat horto,
 In caput agricolae dira venena vomens.
O ludum miserum! miserum o! bis ter Paradisum,
 Qui tantis cumulat totque malis dominum!
Felix ergo cluet, misera haec qui Tempea linquens
 Ac luteum ludum, coelica prata petit!
Hanc fortem et FRANCVS feliciter acquisiuit,
 Doctrina clarus vir senioque grauis:
Post casus etenim varios variosque labores
 Ad placidum venit morte pia Latium.
Ex ludo minime ludo iuit ad otia Atlantis,
 Otia, nov villo disperitura die,
Ad verum ex ficto pede veloci Paradisum
 Transit, et vita vescitur aetheris.
Gratulor hanc ipsi sortem dulcemque quietem,
 Quae nunc inuenta est inque solo, inque polo.
Interea hoc illi monumentum condit amoris
 Mnemosyne, meruit quod pia Musa Viri;
Hic situs ELIAS FRANCVS, vir fortis, vt Hector,
 Vt Iobus patiens, vtque Sibylla sciens.
Natus Numburgi, denatus in Isidos vrbe est,
 Bis septem emensus lustra, iuuante Deo.

Sacra-

Sacravit vitam ludo, docuitque iuventam
 Vndenas ultra Rector olympiadas.
 Nunc quamuis velox, sed dum felix simul exit,
 Solamen moestis mors cita grande fuit.

συμπ. f.

IOH. HENR. TOELKIVS,
 Gymn. Isleb. Subconr.

Epitaphium.

D. O. M. S.

Hoc saxo. teguntur. exuuiae.

M. ELIAE. FRANCI. P. L. C.

Numburgi. honestis. parentibus. nati.

die. XXVIII. Febr. anno. MDCLVI.

Quem. in.

Schola. patria. cathedrali.

Primis. litterarum. rudimentis. imbutum.

Et. in.

Portenli. coenobio.

Vberiore. cultura. prouectum.

Florentissimae. Germaniae. academiae.

Lipsiensis. et ienenfis.

Virtute. ac. doctrina. varia.

Ita. exornarunt.

Vt. postmodum.

Illustrissimus. Mansfeldiae. comes.

Dominus. IOHANNES. GEORGIUS.

Dignum. illum. iudicare. potuerit.

Cui.

Initio. Subconrectoris. munus.

Deinde. regimen. Gymnasii.

Concrederet.

Quibus. etiam. officii.

Illo. nondum. per. vnum. hoc. per. XLIV. annos.

Pro. virili. functus. est.

Idque. semper. dedit. operam.

Vt.

103) 40 (20

Vt. Deo. cultum.

Superioribus. reuerentiam.
Aequalibus. candorem.

Inferioribus. inferuendi. studium.

Scholae. curam.

Discipulis. fidem.

Suis. amorem.

Rite. probaret.

Tandem.

Post. mille. exantlatos. labores.

Apoplexia. correptus.

Placide. exspirauit.

d. V. Non. Martii. anno. clocccXXVII.

Quum.

Annos. aetatis. LXXI. et. dies. II,

Exegisset.

Et. in. coniugio.

Cum. lectissimis. feminis.

AMALIA. SEYFARTHIA.

XVI. annos.

susceptis. ex. eadem. VIII. liberis.

Ac.

MAGDALENA. REICHENBACHIA.

Ultra. XXVI. annos.

Vixisset.

Memoriam.

Optimi. foci.

Moestissimus. gener.


M. Christi. Frid. Pezolt. l.

Neo. Isleb. sch. Rect.

obliuioni. exemturus.

H. M. P.





OK. 242.22

Z6
1928

M. ELIAE FRANCI

GYMNASII MANSFELDENSIS

QVOD ISLEBIAE FLORET

RECTORIS PER XLIV. ANNOS

SVMME DEXTRI AC LAVDABILITER

MERITI,

V I T A,

SCRIPTA

AB IPSIVS NEPOTE

LVDOVICO CHRISTIANO PEZOLT

ISLEBIENSI,

MED. DOCT. ET PRACT. NORDHVSAN. ACAD. IMPERIAL,

NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. REG. TEVTONIC. GOET-

TINGENS. NEC NON DVICAL. IENENS.

COLLEG.

IMPENS. IOH. HENR. GROSSII, BIBLIOP. NORDHVS;